



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote idiota, qui à sancto Thoma Cantuariensi degradatus, per beatam Mariam virginem officium suum recuperauit, cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*B. Maria
est confo-
latrice
tribulaz.
sorum.*

REtulit quidam mihi Abbas de ordine nostro, de sancto Thoma Cantuariensi, qui nostris tem- poribus martyrizatus est, quiddam satis dele- stabile, quod nec in eius passione legitur, nec in libris miraculorum eius reperitur. Cum esset in eius diœcesi sacerdos quidam idiota, nullam sciens missam, nisi de Domina nostra sancta Maria, & illam quotidie cele- braret, atque apud eum de hoc accusaretur, prohibi- tus est, ob honorem Sacramenti à beato Episcopo, de cætero dicere missas. Qui cum esset in tribulatione, & egreditur, beatamque virginem Mariam iugiter inuoca- ret, illa ei apparens, ait: Vade ad Episcopum, & dic ei ex parte mea, quatenus restituat tibi officium tuum. Respondit sacerdos: Domina, ego pauper sum, & per- sona despœcta, non me audiet, neque mihi patebit ac- cessus ad eum. Beata Virgo Maria subiunxit: Vade, & ego tibi viam præparabo. Et ille: Domina non creder verbis meis. Respondit ei: Dices ei pro signo, quod cu- tali hora, & in tali loco, cilicium suum dissutum resar- ciret, ego illud ex parte vna tenebam adjuvans eum, statimque credet tibi. Manè sacerdos sine impedi- mento intrans ad Episcopum, beatæ Dei genitricis Mariæ referens nuncium, cum ille diceret: vnde creda te ad ea missum? prædictum signum de cilicio subjun- xit; quo auditio, beatus pontifex stupens simul ac pa- uens, respōdit: Ecce reddo tibi officium tuum, & præ- cipio tibi ut tantum missam de Domina sancta Maria cantes ac frequentes, oresque pro me. APOLLONIVS: Satis miror pietatem Dominæ nostræ sanctæ Mariz, quod idiotam depositione dignum sic defenderet, & ministerio tanto dignum iudicaret. CÆSARIUS: Hoc actum est ex ineffabili eius misericordia, sicut in se- quenti capitulo amplius mirari poteris.

C A P V T V.

CAnonicus quidam sancti Geronis in Colonia,
^{* Harderardus nomine, vir nobilis, oriundus de}
Merenberch, pastor erat cuiusdam ecclesie su-
per fluuium Logonam sitæ, vocabulo Derlar. Cum
esse

** Alias*

Hardera-

dus.

** Alias*

Derlar.